| | |
|---|---|
| Dormagen | Anophthalmia |
| Benson | Coloboma of Choroid and Optic nerve |
| Cornaz | Abnormalités Congénitaux 1848 |
| Hoederath | Ueber Monophthalmus |
| Frommüller | Ueber die Angeborenen Hornhautverdunklungen |
| Van Duyse | Macrostomes congénitaux et Dermoides de L'Oeil |
| Durlach | Miss- und Hemmungs-Bildungen des Auges |
| Leclère | Opacités congénitales de la Cornée |

# DE ANOPHTHALMIA CONGENITA.

## DISSERTATIO INAUGURALIS
## Pathologico-Anatomica

QUAM
EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA
WILHELMIA RHENANA
DECANO SPECTATISSIMO
A. F. J. C. MAYER
AD
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
GRADUM RITE ASSEQUENDUM
SCRIPSIT ATQUE PUBLICE DEFENDET
DIE XVI. SEPTEMBRIS ANNO MDCCCXXXIV.

**HUBERTUS DORMAGEN**
AGRIPPINENSIS.

OPPONENTIBUS:
JOAN. JOS. MERTZNICH, MED. ET CHIR. DRE.
THEODOR. SCHREIBER, MED. ET CHIR. DRE.
NICOL. SCHNICKEL, MED. ET CHIR. DDO.

*Cum tabula lithographica.*

COLONIAE AGRIPPINAE,
TYPIS BUESCHLERI SOCIIQUE.

„Multum adhuc restat, multumque restabit, nec ulli homini occasio praecipitur aliquid novi adjiciendi."

Seneca

PRAECEPTORI

ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO

**A. F. J. C. Mayer**

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI NEC NON ANATOMES

PHYSIOLOGIAEQUE PROFESSORI PUBL. ORD.

INSTITUTI ANATOMICI BONNENSIS DIRECTORI

PLUR. ACAD. ET SOC. LITT. SODALI ETC.

FAUTORI

DILECTISSIMO SUMME VENERANDO

**Mich. Aldenkirchen**

SACRO PAROECIAE SANCTI GEREONIS COL. AGRIPP. CURIONI

NEC NON COLLEGII AGRIPPINENSIUM SACROR, CURIONUM

A SECRETIS QUONDAM AC SENIORI ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

GRATO ANIMI SENSU

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Quum semper professus essem, me adscriptum esse velle numero eorum, qui accuratam observationem atque experientiam fundamentum omnis doctrinae medicae esse, eamque viam, magno quidem negotio et labore ineundam, sed certam tritiori illi, a vero tamen facile abducenti, quam qui ingrediuntur auctoritate nullis finibus circumscripta ac praeceptis rationis ipsius potissimum nituntur, anteponendam esse statuant: ex diuturno iam tempore mihi proposueram, rem aliquam, de qua ipse observationes et pericula fecissem, inaugurali dissertatione tractare, quod medicum iuvenem, ut pallio doctoris exornetur, antiquus mos instituere iubet. Sed termino legitimo ac rebus aliis, quae eiusmodi erant, ut a tempore penderem, urgentibus, consilium professoris Mayer, viri illustrissimi et doctissimi, h. t. Decan. spectatiss., duo memoratu dignissima monstra anophthalmica, quae in Museo anatomico Bonnensi exstant, de-

scribendi ac publici iuris faeiendi mihi erat gratissimum. Praeterea casus notos diligenter collegi, nuper observatos deseripsi, cum aliis comparavi, denique nonnullas animadversiones addidi; quo facto partim opiniones vulgares eonfirmatae partim sunt refutatae. Quibus absolutis nihil restat, nisi ut praeceptori optime de me merito tum propter subsidium auxiliumque in hoc libello conscribendo mihi oblatum, tum propter humanitatem et comitatem, qua semper erga me usus est, ex intimo animo gratias agam. At temporis brevitate nonnullisque aliis difficultatibus aecidit, ut minus diurna, quam velim, lucubratione subegerim. Qua ex eausa leetores etiam atque etiam rogo, cum sane multi mancum habituri sint opusculum, a tirone medico in lucem id editum esse, benevola indulgentia ne obliviscantur.

# INTRODUCTIO.

## §. 1.

*Congenitus oculorum defectus haud raro et quidem vario modo ac gradu observatus est; proles enim aut uno aut utroque oculo orbatae inveniuntur. Prioribus temporibus omnes, qui a partu oculo tantum uno praediti erant, Monophthalmi vel Cyclopes nominabantur; recentioribus vero temporibus, quum non solum externa harum deformitatum forma respiceretur, sed etiam accuratioribus atque diligentioribus dissectionibus earum interna textura ac structura inquireretur et indagaretur, mox elucebat, magnum interesse inter has deformitates discrimen, si quoque una tantum orbita adesset unusque tantum oculus externe animadvertendus esset. Aut enim unus oculus, plane deficiente altero, inde a partu prorsus a forma normali non abhorruit,*) aut praeterea plus minusve persipicua vestigia conformationis alterius oculi adfuerunt, ut exemplum addam, duplex cornea vel lens crystallina vel pupilla etc.; etsi haud raro modo nisus duos oculos formandi in una alterave ad oculum pertinente parte est indicatus. Prima oculi conditio huc usque tantum iis in casibus observata est, ubi oculus, qui aderat, normalem locum capitis obtinebat, alterum vero in casibus huc usque notis tantum invenerunt auctores ibi, si oculus alio loco et quidem eo fixus est, qui medium tenet normali in statu inter utrumque oculum.*

---

*) *Cf. Rudolphi's Abhandlungen der Akadem. der Wissenschaften zu Berlin. Jahrg. 1814 u. 1815, pag. 185.*

*Merito igitur* **Seiler***) *proponit hasce duas species plane distinguendas, illamque Monophthalmiam imperfectam vel Cyclopiam (secundum* **Geoffroy Saint-Hilaire** *Monopsiam vel Rhinencephaliam) nominandam esse. Cyclopia quod ad numerum et formam partium oculi pertinet magnam praebet diversitatem, in universo autem in eo consentiunt omnes, quod in una orbita unus tantum bulbus invenitur; sin vero duo bulbi adsunt, fere semper palpebris aut coalitis aut nondum perfecte evolutis circumdati sunt; quod formationis vitium stricte Cyclopia vocari non potest, sed potius formatio, ut ita dicam, transitionis nominanda est. Nam in bulbo aut una aut nonnullae partes duplices inveniuntur, aut omnes oculi partes simplices sunt, et Cyclopia tantum ex situ oculi eiusque magnitudine ac vestigiis duplicitatis in eius ambitu et circuitu cognoscitur.***) *Utraque vero species hae in dissertatione, quae solummodo verum oculorum defectum respicit, praetereunda est.*

*Quare notos modo eosque huc pertinentes casus offerendos mihi ac describendos esse censui. In perfecto oculorum congenito defectu Anophthalmia secundum* **Gurtl** *Perocephalus anommatus aut prorsus nulla orbitarum omniumque ad oculum pertinentium vestigia vel rudimenta inveniuntur, quae conditio fortasse Anophthalmia perfecta nominanda sit, de qua primo in capite sermo fiat, aut uterque oculus deficit quidem perfecte, attamen rudimenta cuiusdam oculorum partis etsi saepe modo orbitae se formantis distincte sunt dignoscenda; quae conditio Anophthalmia imperfecta sit vocanda et in capite secundo tractanda.*

---

*) *Beobachtungen ursprünglicher Bildungsfehler und gänzlichen Mangels der Augen. Dresden 1833. Fol.*

**) *Cf.* **Haller.** *app. minor. tom. III, pag. 38, 39.*

# CAPUT I.

## De Anophthalmia perfecta.

### §. 2.

Quamvis haud rarae observationes et ab antiquis et a recentioribus scriptoribus, in quibus oculos prorsus defuisse fertur, memoriae sunt traditae, una tantum hujus generis, quantum scio, exstat. Etenim pristinae observationes, in quibus omnis oculorum defectus memoratur, utrum huc sint referendae nec ne, quodsi accuratiores sectiones desint, nec utique vindicari nec negari potest.

### § 3.

Unicam hanc observationem Seiler *) attulit atque accurate distincteque descripsit; monstrum, inquit, virile, plane maturum, optime nutritum vidi, cui oculi cum omnibus, quae ad eos pertinent, partibus prorsus defuerunt: praeterea nonnulla alia deformia sunt inventa. Tres dies post partum vixit hic infans et lacte infusoque florum matricariae chamomillae sustentata est vita. In externa inspectione haec sunt observata: a vertice ad os coccygeum fuit longitudo duodec. pollic., ad plantam pedis octodec,; diametrus capitis perpendicularis quat. poll. longus, transversus tres et dimid., rectus quatuor et dodrantem.

Quo loco orbitae esse debuerunt, cutis capitis continua, quae etiam ad connata usque nasi ossa rostri instar prominentia cum capillis fuit obtecta. Mediam faciei partem magnum palatum fissum occupabat, nasus externus ex imperfecte tantum evolutis et connatis ossibus nasi constabat, os intermaxillare, processus frontales maxillae superioris, ossa palati omnino deerant, ita ut sine impedimento in coalitam nasi orisque cavitatem inspici posset. In eius supera media parte lamina ossis ethmoidei perpendicularis, utrinque conchae

*) Cf. Seil. l. c. p. 7.

inferiores et iuxta eas antrorsum rudimenta alveolorum maxillae saperioris iacent; basin huius magni cavi format lingua et maxilla inferior. Auris dextra externa bene, sinistra autem male formata, neque helix cum antihelice neque tragus cum antitrago clare sunt distincti; meatus auditorius externus clausus. Brachium superius dextrum deest, excepta scapula et clavicula; sinistrum superius adest praeter pollicem; loco secundi, tertii, quarti digiti est deformis longus digitus, digitus minimus normalis. His exceptis reliquus truncus sine vitiis primitivis est formatus.

Patefacto cranio magna aquae copia effluxit. In fundo huius hydatidis imperfecte formatum cerebrum fuit conspiciendum. In ossibus cranii haec abnormia: Ossium frontis parvum deforme tres lineas longum quinque latum rudimentum adest, quod ad sinistram iuxta laminam cribrosam ossis ethmoidei et statim supra rostrum iacet, etiam pars squamosa ossium temporum deest.

Ossa vero bregmatis magnum habent ambitum; ab osse occipitis ad partem petrosam ossis temporum tendunt, antrorsus ad rudimentum ossis frontis et ad solito latiores parvas alas ossis sphenoidei. Unumquodque os bregmatis a media utriusque lateris coniunctione usque ad partem petrosam ossis temporum quatuor pollices latum et ab osse occipitis usque ad rostrum quatuor et dimidium poll. longum. In basi cranii conspicienda sunt: rudimentum ossis frontis, lamina cribrosa ossis ethmoidei, valde tenuis et pro foraminibus modo tenues foveae inveniuntur, crista galli omnino deest. Utrinque illius laminae solito latiores parvae alae ossis ethmoidei iacent, sursum et ad latus scandunt curvatae, coniungunt ossis frontis rudimentum cum ossibus bregmatis extra, sursum introrsumque cum lamina cribrosa ossis ethmoidei. Inter ea et magnas ossis ethmoidei alas magis retrorsum iacentes magna est fissura, quae molli fibrosa materia impleta in cavitatem nasi ducit. Superficies corporis ossis sphenoidei superior s. sella tursica solito latior. Par-

tes petrosae ossis temporum et pars basilare occipitis normales, praeter quod alae magnae ossis sphenoidei partibus petrosis temporum ita accurate adiacent, ut fissura inter ea desit. Cum orbitarum laminae ossis frontis, zygomatici, maxillae superioris nec non laminae papyraceae sphenoidei cum ossibus lacrymalibus desint, orbitae formari non potuerunt. Ossa bregmatis aggrediuntur parvas alas ossis sphenoidei et cutis capillis inserta in malarum cutem continua atque integra transit.

Cerebri etsi nonnullae imperfecte formatae partes restant, tamen evoluti sunt lobuli posteriores cerebri, thalami, corpora quadrigemina. Ex superiore parte inspectione instituta, videndum est in fundo hydatidis durae matris et in basi cranii rudimentum maius dextri, minus sinistri lobuli posterioris cerebri, ad dextram fovea semilunaris. Antrorsum post laminam cribrosam ossis ethmoidei ambo modo ex parte evoluti lobuli posteriores cerebri rudimenta discedunt, ita ut ossea illa lamina, dura matre tantum obtecta, statim nuda conspici possit. In media parte inter haec rudimenta est vestigium ventriculi tertii, cuius fines sunt a tergo thalami, infra lamina cinerea; post hanc corpora quadrigemina non plane distincta, aquaeductus Sylvii, cerebellum cum vermi iacent. Inspectione autem ex inferiore parte instituta: inveniuntur imperfecte evoluti lobuli posteriores dextri et sinistri, interiacet in parte antica magna fissura, quam discedentes superficies internae formant; post hanc sequuntur crus dextrum et sinistrum, pons Varolii, medulla oblongata, cerebellum cum vermi inferiori, omnes nervi cerebri excepto nervo olfactorio. Nervi optici ad thalamos usque indagari possunt, uterque se coniungit in solito loco. Desunt igitur: glandula pituitaria, pinealis, pes hyppocampi maior et minor, pedunculi, taenia, corpora striata, commissura anterior et posterior, corpus callosum, septum, fornix, infundibulum.

In abdomine perpauca tantum abnormia sunt inventa.

## CAPUT II.

### De Anophthalmia imperfecta.

§ 4.

Valde dolendum est, plurimis in his observationibus accuratas sectiones deesse; cerebri structura nervorumque origines et decursus in paucis tantum sunt descripta. Plures species sunt observatae.

### De Anophthalmia imperfecta cyclopica.

§ 5.

Duplex congenitus oculorum defectus usque ad hoc tempus in cyclopia observatus et descriptus reperitur. (cf. § 1.)

### De Anophthalmia cyclopica vera.

§ 6.

Infans *) descriptus est cum parvo ore et rostro supra rimam palpebrarum sed sine bulbis.

Prochaska**) in infante circiter octo menses exanime nato, infra frontem utriusque lateris palpebras proxime sibi adiacentes parvo tantum spatio separatas et ita connatas ut aperiri non possent, invenit. Post palpebras curtis ciliis praetentas orbita modo, in qua tamen non est bulbus, reperta. Cavum non nisi tela cellulosa, adipe musculisque aliquot impletum fuit. Externi nasi eiusque cavi nullum vestigium, os quoque non adfuit. Facies in obtusum acumen exibat, in quo erat parva verruca, intra quam parvum foramen in oris cavitatem ducens, videri licuit. Cavitas oris a faucibus osseo zostre erat seiuncta, qui e maxilla infe-

---

*) Prognosticon Potinii 1629.

**) Abhandlungen d. Böhmischen Gesellsch. d. Wissenschaft. Jahr 1788. S. 280.

riori curta formatum esse videbatur. Ante faucium cavitatem iacebat larynx cum osse hyoideo, in quo linguae rudimentum, quod verruculas nonnullas videndas praebebat, religatum erat. Conchae auris et externae auris apertura prorsus defuerunt. Quantum ad meatum auditorium externum et cavitatem tympani, horum nullum vestigium inveniri potuit, sed canales semicirculares et cochlea aderant.

Clouzure *) mediam, radici nasi adiacentem orbitam, quae bulbi loco duas tantum rubras carunculas continebat, in neonato invenit; supra palpebram superiorem processus cutaneus ut elephantis rostrum atque in sinus frontales ducentem habebat hiatum, ex quo fluidum pituitosum effluebat.

In regio Museo **) anatomico Berolinensi foetus sexus sequioris inest, cuius oculus sub rostro rima modo palpebrarum est indicatus.

Carlisle ***) invenit hoc vitium in agno. Meckel ****) vero in foetu suillo; tres aderant palpebrae, inter eas orbita tantum coniunctiva erat obtecta; bulbi prorsus deerant.

## De Anophthalmia cyclopica spuria.

### § 7.

Duae tantum huius speciei observationes, quod scio, exstant. Referendae sunt ad formationes transitionis supra iam dictas (§. 1.). Sunt monstra humana a Pienitz observata et a Seiler †) descripta atque in lu-

---

*) Revue médicale. 1830. Vol. II, pag. 59.

**) Raddatz de Cyclopia. Berol. 1829, pag. 12.

***) Desc. of a monstrous lamb. Philos. Transact. for the year 1801, pag. 139.

****) Archiv für Anatomie u. Physiolog. Jahrg. 1826. S. 253.

†) Duo monstra in Museo anatomico Medico-Chirurgicae Academiae Dresdensis posita inveniuntur, hoc sub num. 934, illud sub Nro. 933. Cf. Seiler, l. c. pag. 27.

cem edita: Primum est infans neonatus cum palpebris, quae ab externa superiore parte ad internam inferiorem valde oblique versae, sub medio ossis frontis ita accurate sibi adiacent, ut interni oculorum anguli linea tantum inter se distent; deficiunt bulbi. Inter superiorem palpebram et inferiorem iacet conjunctiva bulbi; puncta lacrymalia adsunt; nasi loco parvus tantum membranosus processus sub palpebris sine naribus et sub his labium leporinum sine inopia substantiae, quasi perpendiculari cultri incisione formatum invenitur. Cranii cavitas humilis et parva, ossa bregmatis, frontis et occipitis massa ossea sine suturis inter se coniuncta sunt, et tela ossea duplicem habet crassitudinem, quam in neonatis infantibus plerumque invenimus. Os ethmoideum deest; ubi situm esse debuit, inter orbitarum laminas ossis frontis tenuis fissura in duram matrem transit. Etiam ossa nasi et processus frontales maxillae superioris desunt, et os frontis cum laminis orbitae maxillae superioris simplicem tantum, non profundam, materia cellulari impletam orbitam efficit. Glandula lacrymalis, bulbi, musculi omnesque ad oculos pertinentes telae deficiunt. Cerebrum modo exiguam, humilem, item simplicem massam sine gyris aliisque distinctis formationibus, recens mollem claraque vestigia hydrocephali, qui prius adfuerat, ostendit. Medulla oblongata et cerebellum cum gyris, aeque inter se distantibus, adsunt. Nervi olfactorii, optici, tertium, quartum, sextum par cum ramo primo quinti desunt. Ceteri nervi cerebrales adsunt.

Altero in monstro bulbi eorumque musculi, vasa, nervi, organa lacrymalia, palpebrae, nasus prorsus desunt; eo tantum loco, quo rima palpebrarum sinistra sedem habere debuit, stria lineam longa, cicatrici non dissimilis reperitur. In superiore capitis parte capillis inserta, rostri formam gerens prominet tela cutanea, hinc cutis sine ullo palpebrarum nasique vestigio glabra faciem transit; oris apertura parva rotunda; rostrum illud non habet hiatum externum: est autem fistulosum du-

citque deorsum in cavum faucium, sursum cranii. — Parva humilis cranii cavitas formatur ossibus bregmatis, antrorsum alis magnis sphenoidei adiacentibus, temporum, osse occipitis, corpore magnisque alis sphenoidei; tamen inter os utrumque parva remanet fissura, quae modo materia cellulari impleta dura matre est obtecta. Alae parvae sphenoidei, os frontis, ethmoideum, intermaxillare desunt. Ossa tegumentum cranii formantia solito crassiora. — Sola medulla oblongata plane evoluta. Etsi cerebellum non solum permagnum sed etiam gyri aeque inter se distantes in superficie sunt videndi, tamen interna substantia cerebri plane mollis, aquosa, hydatidi non dissimilis. Pons Varolii perfecte evolutus, hincque nervi anteriores medullae oblongatae sunt evoluti, simplex deformis cerebri substantia, in qua vestigia hydropis cerebri, qui prius iam adfuit, in cavis et substantia cerebrali, quae facile solvi potuit, clare apparuerunt. Nervi sunt qua conditione priori in casu.

## De Anophthalmia imperfecta vulgari.

### § 8.

Uti cyclopiam imprimis hominis raro observatam habent scriptores, anophthalmia cyclopica quoque rarissime invenitur. Qua de causa hunc oculorum defectum congenitum, saepissime obviam venientem vulgarem vocare et in triplici serie observationes componere mihi liceat.

## Observationes brevius relatae.

### § 9.

Lycosthenes *) paucis verbis de infante caeterum bene formato sine auribus et oculis disserit; quem casum quoque Schenk **) memorat.

*) Chronic. de prodig. et ostent. anno mundi 3772.

**) Observ. med. lib. I, de capite hum. obs. 251.

Quatuor observationes attulit A. Haller. *)

A.

Androgynum difformem absque oculis et scroto cum clitoride; alterius pedis digiti non nisi duo.

B.

Caput imperfectum, maxilla inferiori deformi, orbitis nullis.

C.

Loco oculorum sola foramina in fronte quasi vulva.

D.

Spielenberger describit monstrum, in cujus capite corona erat, qualem Clerici gestant, carne eius cranium sic ambiente, quemadmodum tonsa horum caput; oculis omnino destituebatur.

Walther **) describit in indice collectionis anatomicae suae duo exempla: Nr. 822. Desunt ambo oculi et nasus, cuius loco processus rostro similis reperitur, in quaque manu dextroque pede sunt sex digiti. Nr. 327. Monstrum bicorporeum in quo nec frontis nec oculorum nec nasi aut oris vestigium inveniri potest.

Sprengel***) Pomeranici concionatoris filiam, in qua ne vestigium quidem oculorum eorumque orbitarum neque ullum inter frontem et malas discrimen inveniri poterat, se vidisse narrat.

Otto †) mentionem facit vitulini cranii in cuius sinistro dimidio orbita iusto minor est; oculi desunt.

Deinde commemorat infantem sine oculis; tum infan-

---

*) Oper. anatom. argum. minor. T. III. Laus. 1768. A) Mus. Petrop. Tom. I, p 298. B) Comm. Litt. Norimb. ann. 1736, hebd. 15. C) Storch de abort. abs. 56. D) Miscellan. Nat. curios. ann. 1672. Lips. 1673.

**) Museum anatomicum. Berl. 1805. S. 124 u. 126.

***) Sybel. Diss. de quibusdam materiae et form. oculi aberration. a statu normali. Halae, 1799. Cf. Reil's Archiv für die Physiol., B. V, St. I, S. I; St. III, S. 357 f.

†) Verzeichnifs der anatom. Praeparatensammlung d. Königl. anatom. Instituts zu Breslau, 1826, Nro. 3233, 2341, 2888, 3232. Erster Nachtrag zum Verzeichnifs etc., 1830, Nro. 8960.

tem paene maturum, hydropicum sine oculis cum naso, labiis, palato fisso, et antibrachiis deficientibus, in dextra manu tres, in sinistra duo erant digiti, pedum digiti ita connati erant, ut minime distingui possint; tum cranium neonati infantis sine oculis, cuius orbitae recto minores; denique neonatum deformem canem sine facie, naso, oculis aliisque partibus cum duabus auribus.

Rudolphi*) in Museo scholae, in qua medici animalibus medendis operam daturi informantur, Alfortensis foetum maturum, cuius facies alia erat, quam similium monstrorum invenit; in fronte eius erat parvum rostrum, sub quo magna fissura penetrans et spatium orbitarum occupans videnda erat; oculorum nullum vestigium. Nihil, quod superiorem nasi partem indicaret, repertum est, loco inferioris partis erat fovea. Nihilominus nullum labium leporinum, sed labium superius a naribus usque ad os prorsus naturale.

Foetus felinus, cuius omnes partes faciei sunt coalitae, frons subrotunda, in ore magnae plicae; oculi nasusque omnino desunt; aures valde prominent. Etiam observavit canem et felem, quibus plane oculi deerant.

Botin**) in infante sex hebdomades nato ambas orbitas depressas, palpebras coalitas rugosas, in inferiori tantum oculi angulo exiguo foramine separatas reperit. Apertae sponte se non movebant, et rubram modo atque non ita sensibilem membranam, quae coniunctivam continuans orbitas circumdabat, videndam praebebant. Organa lacrymalia propter defectum secretionis huius humoris deerant.

Hoffmann †) faciem describit valde deformis in-

---

*) Bemerkungen aus d. Gebiete der Naturgeschichte, Medizin und Thierarzneikunde. Berlin 1805. Thl. II, S. 50 u. 51. Wiese, de monstris animal., Berol. 1812, pag. 6.

**) Mémoir. de l'Academ. Royal. des scienc. ann. 1721, p. 42.

†) Zweite u. dritte Nachricht v. d. Anstalt f. arme Kranke zu Altdorf 1788. Starck's Archiv f. d. Geburtsh. B. IV, S. 700.

fantis neonati. Superiores et inferiores palpebrae utriusque oculi coalitae atque ita prolongatae erant, ut duram membranam unum digitum latam et tres circiter digitos longam efficerent. Bulbi nullum vestigium, utraque orbita laxa tela cellulosa impleta.

Fielitz*) in neonato infante palpebras clausas bulbumque omnino deficientem in orbitis mucoso humore impletis se invenisse prodit.

Vicq d'Azyr**) monstro cuidam ambos oculos defuisse tradit; oris loco rotundum et parvum foramen situm in coneiformi processu invenit. Orbitae minimae ac foraminibus opticis carentes.

Thom. Bartholinus***) duos casus narrat: Monstri primi ex foemina paupercula et honesta, quae per plures annos cum marito pie vixerat multosque liberos sanos adhuc superstites genuerat, post sacrum lavacrum denati mentionem facit. Ex ore amplo duae prominentiae sursum deorsumque protendebantur sibi utrinque occursantes, quibus omnis ex uberibus nutricis matrisve suctio impediebatur; compressus nasus, frons lata, oculi clausi, crines in capite intorti. In occipite rotundus orbis exstabat medio puncto caeruleo instar operculi figulini et colorati; variis coloribus circulus iste distinguebatur, flavo viridi coeruleo candido et rubro, qui omnes in defuncto nigricabant. De altero ab ipso observato casu, cum paucis verbis formam externam anophthalmi descripserit, infantem nullos oculos, deformem modo nasum osque, in unaquaque manu et in sinistro pede sex habuisse digitos refert.

Pittschaft †) refert de infante quodam utroque bulbo carente. Palpebrae et cilia optime formata et

---

*) Richter's chirurg. Bibliothek. B. V. H. I. S. 143.

**) Histoire de la Soc. de Medec. ann. 1776, pag. 816.

***) Historiar. anatom. rarior. Cent I. Tom. I Histor. 50; Cent. III. Tom. II, Hist. 47.

†) Journal d. praktisch. Heilk. v. Hufeland u. Harlefs 1818, St. VI, S. 91.

orbitae colore sanguinis erant, ut bulbos artifici oscseparatos atque exemptos esse putares. Tres post menses infans obiit. Sectio serra arboraria pessime instituta est. Certior scriptor non factus est, utrum nervi optici et thalami deerant nec ne.

C. E. Fischer*) commemorat partum infantis rustici sine bulbis: in fissura saltem, quae inter palpebras iuxta angulum nasi internum est, specillum in toto vacuo spatio utriusque molliter vero vestitae orbitae circumferri potuit. Caeterum suxít**) et satis sanus, ut videbatur, octo hebdomades vixit.

Beer***) in robusto infante neonato palpebras paene usque ad nasi angulum connatas invenit. Ipsae palpebrae cavae et flaccidae, super orbitas sitae; in profunda modo orbita gibbosa et minima, duraque massa erat sentienda. Lucis sensus plane defuit. Huic infanti omnes quoque et manuum et pedum digiti defecerunt; loco pollicis et halucis in quaque manu et in quoque pede nodulus verrucae similis fuit animadvertendus.

W. S. Schmidt †) defectum oculorum in puero octodecim pollices longo, octo libras gravi, caeterum sano optimeque formato observavit. Palpebrae normales, sed solito minus convexae cum marginibus accurate inter se cohaerentibus et paullum introrsum curvatis, ita ut digitis difficile essent aperiendae. Accuratiore inquisitione instituta manifestum est factum, nullum bulbi vestigium adfuisse utriusque spatium orbitae rosacea, flaccida tela cellulosa, cuius externa ves-

---

*) Journal der praktisch Heilk. von Hufeland. Berlin, 1819. St. I. Mon. Juli.

**) In libro citato legitur: er sah u. s. w. Videtur erratum esse, quod legendum esse censui: es sog u. s. w. Nescio enim, quomodo, bulbis deficientibus, viderit.

***) Das Auge. Wien, 1813, S. 57.

†) Salzburg. mediz. chirurg. Zeitung. Jahrgang 1821. Bd. II. S. 429.

tis ex coniunctiva originem ducere videbatur, rarius esse impletum.

Rudolphi*) in infante, qui caeterum optime se habebat, oculos deficientes vidit; supercilia, palpebrae omnesque ad hos pertinentes partes perfecte fuerunt formatae.

Biermeyer **) mentionem facit infantis cum magno palato fisso; eius palpebrae tam crassae et connatae fuerunt, ut carneosam massam, quae orbitas implet, non nisi multo negotio cernere posses. Tum memorat hydrocephalum, in cuius uberi aquae copia ossa cranii maceratione separata circumnatabant; neque oculorum, neque nasi vestigium; externa sola auris ex parte iam fuit formata.

Olivier†) in infante, in quo defectum bulborum observavit, separatis, delapsis et connatis palpebris, in orbita nil nisi nonnullae fibrillae subrubro colore et cellulosa, adiposa tela sunt inventae. Infans palpebras aliquid potest movere et ex earum rima fluit albidus liquor.

Dressel ††) animadvertit in neonato infante orbitas et palpebras normales, sed inter eas tenuis membrana orbitam usque ad posteriorem parietem oddu-cebat; bulborum ne minimum quidem vestigium. Tenuis debilisque puella caeterum bene formata magis magisque viribus exhausta, quatuor hebdomades nata, convulsionibus diem supremum obiit.

Aldrovandi†††) observationem canis oculis deficientibus attulit.

---

*) Abhandlungen der Königl. Akademie der Wissensch. zu Berlin, Jahrg. 1826, S. 89.

**) Museum anatomico-pathologic. Nosocomii Universitatis Vindobon. Vind. 1816.

†) Archiv géneral de Médec. 1830, pag. 415.

††) Hohnbaum's und Jahn's mediz. Conversationsblatt. Jahr 1831, S. 176.

†††) De quadrupedibus digitatis viviparis, lib. III. Editio Barthol. Ambrosinai. Bonon. 1645, fol. pag. 254.

Observationum defectus oculorum plures iam scriptores mentionem faciunt: Deusing*), Salmuth**), Alix***), Plot†), Winslow††).

## Observationes accuratius descriptae.

## §. 10.

Klinkosch†††) sectionem in puero hydrocephalo laborante instituit. Cranii ossa non bene evoluta; frontem magnus tumor formavit; nasus plurimaque faciei ossa defecerunt; os valde deforme; oculus sinister unica membrana formatus, hydatidi non dissimilis, inter palpebras prominenti, profundius fuit positus, quam parvus locus cicatricosus, qui veluti palpebrarum rimam dextri oculi deficientis indicavit. Cerebrum neque divisum in hemisphaeria, neque in eorum lobulos; uterque ventriculus lateralis cum tertio in unum magnum saccum, novem aquae limpidae uncias continentem, coivit. In superiore huius sacci tegumento fornix sine septo pendebat. Anteriora fornicis crura deorsum et post anteriorem commissuram sub thalamo in medullam magni cruris transierunt; crura posteriora fuerunt deleta; glandula pinealis et corpora quadrigemina difficile, corpora striata et thalami facilius fuerunt distinguenda. Ex ventriculo tertio amplus infundibuliformis meatus in saccum durae matris intravit, qui meatus per corpus ossis sphenoidei in cavum oris prominens fistulosam glandulam pituitariam continuit. In ventriculo quarto, in cere-

---

*) De foetu Mussipontano. Sect. VII.

**) Observation. Cent. I, Nro. 86.

***) Observ. chirurgic. fasc. IV.

†) Natur. hist. of Stafordshire. Cf. etiam Bresl. Sammlung. 1717. Mon. Juli.

††) Memoire de l'Acad. des Scienc. 1722.

†††) Progr. quo anatomen partus capite monstr. proponit Prag. 1766. Rec. in Diss. select. med. Pragensib. vol. I. Prag. 1785, Nro. XII, pag. 199.

bello, in medulla oblongata nihil abnorme. Sex paria nervorum anteriora prorsus defuerunt, caetera normalia. Quamvis origines nervi trigemini defuerunt, omnes tamen extra cranium iacentes ramuli, veluti ex se ipsis orti, adfuerunt.

Weidele †) casum profert, quod infans, qui quinque post partum hebdomades vixit, orbitas quidem congenitas habebat, sed in quibus bulbi animadverti non poterant. Post mortem loco bulbi glandula lacrymalis est inventa; nervus oculorum motorius, primus ramus quinti paris, nervus abducens et ramificatio arteriae ophthalmicae normales, omnesque musculi oculorum sunt reperti; nervus opticus non solum plane defuit in orbita, verum etiam in basi videri non potuit, et in thalamis nervorum opticorum ne vestigium quidem eius originis, qui vocatur, inventum est. Foramen opticum prorsus connatum.

Malacarne*) exponit de capite caeterum bene formati infantis, qui duos menses vixit, cuique defuerunt nervi optici, eorum chiasma thalamique, oculorum motorii, pathetici, bulbi et eorum musculi, denique caruncula lacrymalis; foraminis nervorum opticorum ne ullum vestigium quidem inveniri potuit. Bulborum loco sita fuit materies similis gingivae, morbosa, epidermide obducta.

Tiedemann**) canis neonati, cui ambo bulbi deerant, sectionem instituit; breves et tenues palpebrae duas minimas telaque cellulari impletas orbitas contegerunt.' Interior palpebrarum superficies glabra et coniunctivae simillima membrana obducta fuit. In ce-

---

†) Himly's und Schmidt's Ophthalm. Bibl. B. III. H. I. 1805. S. 170.

*) I Systemi del corpo umano e la reciproca influenza loro indagati da Vinz. Mal. Padova 1803, p. 90. Himly's und Schmidt's Ophthalm. Bibl. B. III. H. 3. S. 173. Salzburg. med. chir. Zeitung Jahrg. 1805, B. 3. S. 93. Hufeland's u. Harlefs's neues Journal d. ausländ. Litt. B. II. St. 1. No. 3.

**) Zeitschrift für die Physiolog. B. I. H. I. S. 76.

rebro loco nervi optici duo valde tenuia fila, quae a thalamis et ab anteriori corporum quadrigeminorum parte profecta, circa crura cerebri volvebantur, atque ante glandulam pituitariam sine ulla inter se communicatione finiebantur, inventa sunt. Tertium, quartum sextumque par nervorum omnino defuit, cerebrum caeterum non fuit abnorme; thalami et corpora quadrigemina normali modo formata; corpus geniculatum insolitae fuit magnitudinis.

Daniel*) monstri sexus sequioris septem menses nati sectionem instituit legalem. Erat ei pergrande caput, paene longitudinem totius ceteri corporis assequens; paene in medio dorso haud procul a processibus spinosis duae parvae eminentiae, verrucosae cum nonnullis foraminibus sunt inventae. Fuit hydrocephalus; palpebrae erant clausae atque oculi deficiebant; inter illas apparebat vestigium nasi exiguum, atque pollicem dimidium infra os erat. Dextra auris aderat, sinistra deerat; contra oblique super sinistram malam paullum curvatam, planam fissuram conspicere potuisti. Manus et brachia omnino deficiebant; collum, pectus et abdomen externe dignosci minime potuere; sed inter caput et pedes nil nisi tres digitos transversos lata, paene ubique aequalis carneosa pars, haec omnia indicans, erat videnda, attamen superne in antica parte nonnullae costae, et in postica dorsum erant sentiendae. In supremo huius carneosae partis medio pollicem longum frustum divulsi funiculi umbilicalis. Cor, bronchia cum pulmonibus, diaphragma, hepar et ren sinister defuerunt; ren dexter, ventriculus et intestina aderant. Femur et crus lateris dextri aliquid longiores, quam sinistri lateris.

Osiander†) observavit in infante bulbos nasumque deficientes. Supra parvas orbitas processus cutaneus rostro non dissimilis erat. In sectione nervi optici

*) Seiler, l. c. S. 25

†) Handbuch d. Entbindungskunst. B. I. Abth. III. S. 520.

nulli sunt inventi; hemisphaeria cerebri in unam massam coalita, interne magnum modo et subrotundum ventriculum efficiebant.

Lobstein*) in foetu virili octo menses nato duodecim pollices et sex lineas longo haec notatu digna animadvertit: Loco cranii magnus retro dependebat saccus, in quo, incisione facta, praeter massam peculiarem squamosa et septem lineas longa eminentia in sella turcica erat conspicienda. Crista galli et sinistrum nasi dimidium deerant; locum eius occupabat tela cutanea rostri formam gerens, quae a radice nasi dependebat et canali perforato in os ethmoideum transibat. Orbitae inventae, palpebrae clausae; bulbi vero cum musculis et nervis, quorum locus materia cellulari impletus, omnino deficiebant.

Schoen**) infantem observavit a sanis parentibus genitum, bene nutritum, sine bulbis natum, sexus virilis, quinto die post partum convulsionibus demortuum. Cilia, palpebrae, supercilia inventa sunt; dum viveret, raro palpebras aperiebat. In orbita non nisi glebula fusca videbatur. Tertium, quartum, quintum, sextum par nervorum cerebralium integra aderant. Nervi optici eorumque chiasma plane deerant; in cerebro origo inveniri non potuit. Cerebrum normale. In orbitis loco oculorum inventa est massa ex tela cellulosa et adipe constans, in qua omnes oculorum musculi, quamquam tenues et vix perspicui erant videndi. Ad partem anteriorem in telam cellulosam massam illam circumdantem se obducere videbantur. Imprimis perspicui palpebrarum levatores. Omnes originem ex solito loco ducebant. Glandula lacrymalis et puncta lacrymalia aderant, caruncula lacrymalis autem deerat.

S. a Fennecker***) communicavit observationem

*) De nervi sympathici humani fabrica, usu et morbis. Parisiis 1813, pag. 62.

**) Handbuch der pathologisch. Anatomie d. menschlichen Auges. Hamburg 1828. S. 4.

***) Andre's und Elsner's ökonomisch. Neuigkeiten. 1829.

pulli equini sine bulbis nati, qui haud multo post partum vixit, originem duxit ex equa, in cuius stirpe oculi vitia erant congenita, et ipsa iisdem laborabat. Palpcbrae in utroquc latere adfuerunt, patcfactae vero in profunditate modo rubicundum membrana molli formatum tumorem ostenderunt. Etsi cercbrum propter putrcdinem accuratius perscrutari non potuit, pcrspicuum tamen fuit, nervum olfactorium deesse, respondentemque eius laminam cribrosam adcsse quidem, sed cartilaginosam nec perforatam. Nervus autcm opticus, oculomotorius, patheticus adfuerunt; nervi optici eorumque foramina solito minores. Cum quac tumori orbitarum inessent, accuratius inquirerentur, nervi optici non bulbum sed membranosam materiam, in osse ethmoideo iacentem, ingredientes reperiebantur. Bulbus nullus inveniri potuit, nam tumor rubicundus fuit os ethmoideum, quod in utraque parte a lamina cribrosa partis orbitalis ossis frontis et lacrymalis prorsus est separatum; nervus opticus cum superficie posteriore ossis ethmoidei coniunctum. Bulbi musculi aderant, sed cum osse ethmoideo, in utraque orbita iacente, sunt coniuncti. Orbitae normales; cavitates nasi sine osse ethmoideo, cacterum normales. —

## Observationes hucusque in lucem non editae.

### §. 11.

Agnellus*) quidam maturus fere, ceterum bene formatus, propria capitis structura plurimas res memoratu dignissimas observatori praebuit. Caput totum obliqua erat forma, dextrum latus sinistro extensius, ita ut, demta superiori calvaria dimidia, lineam si tibi fingis a fora-

---

No. 76, S. 608. Descripsit Huschkc, attulit in lucem Seiler l. c S. 27 u. 64.

*) Ambae observationcs et dc agnello ct dc fringilla cachibc nuperrime a Prof. Mayer factac in Musco anatomico Bonnensi positac servantur.

mine magno occipitis usque ad radicem nasi, dextrum latus tertia parte maius reperias quam sinistrum. Faciem agnelli adspicienti dextra pars convexa, sinistra imprimis pars apicem nasi inter et orbitam magis concava apparet, non aliter quam si corpus deprimens dextram partem cum damno sinistrae deorsum et extrorsum egisset. Si lineam cogitamus ab inferiori palpebra sinistra transverse per frontem ductam, haec super marginem superiorem palpebrae dextrae procedet. Oculus igitur sinister multo altius situs est dextro.

In cavo cranii haec occurrunt: Processus aliformis magnus ossis sphenoidei in latere dextro margine acuto valde prominet, dum in latere sinistro praeter lineam nihil eiusmodi observatur. In latere dextro nulla adest orbita, sed ossa frontis maxillaeque superioris fissuram modo amplam formant, quae intus membrana nigra, externe albida, accuratius postea describenda, obducta est. In fine inferiore fissurae cavitas hemisphaerica magnitudine nucis avellanae spectatur, quae margine acuto atque prosiliente magnae alae ossis sphenoidei et a membranis ossa obvolventibus exstruitur. Quae cavitas ad inferiorem et posteriorem partem sita est, neque ossium fissurae respondet. In sinistro aequalis fissura supra dictis ossibus formata, quae eodem modo externe membrana albida obducta, interne vero membrana nigra, modo descripta, caret. Hic quoque specus hemisphaericus non multo maior quam in dextro latere tamen a membranis conformatus, quae basin cranii obtegunt, neque uti prius deorsum et retrorsum, sed intus statim post rimam sita, cui accurate respondet. Ambae speluncae introrsum apertae sunt, sicuti globulis excavatis superiores partes defectae essent. Os petrosum dextrum sinistro perfectius. Alae magnae ossis sphenoidei cum clivo Blumenbachii foveam subrotundam magnitudine minoris nucis avellanae conficiunt, in qua glandula pituitaria iacet. Meatus auditorius internus in latere dextro magis deorsum clivoque Blumenbachii propior positus. In latere sinistro aliquanto altius et a clivo re-

motius collocatus est. Id forma capitis distorsa effectum est: partes enim dextrae antrorsum et deorsum, sinistrae retrorsum et sursum directae sunt. Statim pone clivum spelunca alia transverse descendit, quae ab initio ampla postea augusta fit, paene infundibuliformis, construitur osse sphenoideo et occipitis. Huic speluncae medulla oblongata inhabitat. Non minus dislocata sunt foramina pro transitu nervorum olfactoriorum; dextrum nimirum celsius et magis extrorsum situm spectamus. Lamina cribrosa paene perpendicularis. Per magnas ossis sphenoidei alas basis cranii in duas partes dividitur. Pars inferior inferioris segmenti constat ex fovea illa infundibuliformi. Pars superior inferioris dimidii magna ala ossis sphenoidei et osse petroso formata, tertia parte maior et plus antrorsum deorsum directa quam spatium respondens lateris sinistri. Anterior dextra pars dimidio maior est eodemque modo magis deorsum et antrorsum vergit quam respondens sinistra. Ceterum praeter palatum fissum omnia capitis ossa regularia.

In oculo dextro ambae adsunt palpebrae, quarum margines paullum introversi sunt et quidem superior maximeque posterior pars magis quam inferior; rima est semidigitalis. Cilia adsunt, sed rara. Margines palpebrarum si deducis, vides in angulo posteriore pisi minoris instar corpusculum subrotundum utrinque compressum. Inferiori membranae suspensum est, et ad libitum moveri potest. Circa hunc pedunculum praecipue retro ex ea membrana, in qua corpusculum hoc ligatum et quae inter palpebras ambas, uti supra diximus, est extensa, oriuntur plures crinium fasces, qui etiam multis singulis crinibus constant. Qui fasces initio setis similes nihilo discrepant a tenuibus cutis crinibus, quamvis cilia, quae adsunt, magis setis sunt similia. Aliquot tamen fasces ab illis corpusculis remoti, ex ipsa iam supra dicta membrana externum angulum versus oriuntur. Membrana ipsa crassior obscure alba potius fibrosae similis, uti coniunctiva bulbi, inter palpebras extensa eas obducit.

Rima oculi sinistri tres lineas dextra longior. Cilia hic quoque adsunt. Margo palpebrae superioris et praecipue pars posterior valde intro versus, inferior paulum extro versus. Hic quoque supra descripta membrana oculi dextri, quae in tabula lit. a designata est, occurrit, duas tamen plicas formans, quarum maior lit. b notata in medio oculo a parte superiore inferiorem versus membranae modo nominatae est affixa. Iuxta originem eius series punctorum nigrorum invenitur. Plica ipsa angulum internum tendens auxilio membranae supra dictae sacculum quasi format, qui in apicem prope angulum internum oculi exit. Est quodammodo membrana illa tunica quasi nictitans, et fossa, quae ipsa formatur, cum frenulo labiorum pudendorum et cum eorum navicula comparari potest. Plica secunda lit. c. inscripta tertia parte minor in externo oculorum angulo invenitur, atque eodem modo membranae, modo dictae, alligata est. Magis tamen oblique delabitur et foveas duas minimas efficit, unam maiorem paulumque rotundam in superiori parte plica ipsa et angulo externo oculi formatam, alteram inferiorem multoque minorem plica ipsa et membrana illa inclusam. Hac in fovea inferiore a tergo parvum plane compressum lentiforme corpusculum conspicitur, circa quod et praecipue pone supra designati fasces crinales (vid. lit. e,) proveniunt. Color fascium utrinsque oculi candidus, cilia vero (lit. f.) nigra hic non tam parce occurrunt. Ceterum neque bulbi nec ceterarum ad oculos pertinentium partium ullum vestigium inveniri potuit.

Cerebrum quoddam admodum peculiare praebebat. Vesica cerebri hydropice extensa inter effluendum fluidum serosum, quod continebat, collabebatur. Ambo hemisphaeria in massam deformem atque ovatam coacta erant gyrosque ostendebant irregulares. Uterque nervus olfactorius perfectus. Corpus callosum, fornicis si excipis aliquot reliquias, omnino desiderabatur. Ventriculi unum formabant specum, plexu choroideo mag-

no vesiculosoque fere expletum. Thalami nervorum opticorum parvi et extra ventriculos positi. Ab utroque thalamo funiculi medullares, statim in unum coëuntes inferiorem partem cerebri petebant. Inter thalamos infra coalitos ventriculus tertius. Anteriora corpora quadrigemina solito minora, posteriora vix lentis magnitudinem assecuta. Cerebellum cum vermi et hemisphaeriis satis bene formatum. Pari modo pons Varolii, medulla oblongata, glandula pinealis, pituitaria et infundibulum aderant. Pedunculus fere cerebri nullus; pons medullaque oblongata a cerebro, proxime a thalamis omnino fere seiuncta inventa sunt. Tenuis tantum funiculus medullaris in medio iacens, ex ventriculo medullae oblongatae ad posteriora corpora quadrigemina, alterque inferior non minus tenuis a superiore margine pontis Varolii ad inferiorem corporum quadrigeminorum superficiem, ubi corpora candicantia quodammodo conspicienda, vergens, corpora quadrigemina et cum thalamis et cum medulla oblongata aliquo modo coniunxit. Aequa ratione cerebrum a thalamo erat separatum, et funiculo, modo dicto, cum radice duplice in thalamis oriente, statim vero in unum coacto et in gyris inferioris cerebri superficiei evanescente, nexus aliquis restituebatur. Cuius ortum, situm atque formam si respicimus, hunc funiculum nervum opticum censere cogimur. Diminuitur sensim funiculus usque ad eum locum, quo cerebrum per orbitam intus apertam prolapsum cum oculis utriusque lateris plane coalitum erat. Rudimenta enim oculorum in ipsa gyrorum cerebri superficie insidebant, ubi per foramen durae matris in cavum orbitarum imminebant, quod oculorum rudimentum utroque in latere ex cornea, externe coniunctiva obducta, ex iride cum pupilla et corpore ciliari constabat. Observantur insuper reliquiae aliquot choroideae atque scleroticae, quae in duram matrem transeunt; praeterea nulla alia organa reperiuntur et spatium tela cellulosa et cerebro prolapso impletum est; glandulae tamen lacrymales saccusque

presto erant. Nervo oculo-motorio et pathetico excepto reperimus omnes ceteros nervos ac praecipue nervum abducentem neque huius tamen neque primi rami quinti paris ramuli in orbitis investigari poterant.

---

Fringilla caelebs, quae sine oculis nata tempus aliquod vixit, cranium habebat minus parumque convexum, ceteras vero partes capitis regulares, praesertim rostrum, cavum oris narinmque cum organis auditoriis.

Oculi omnino deesse videbantur. Quo loco oculi iacere solent, fovea integumentis ita obtecta aderat, ut cavitas orbitae sentiri partimque videri posset. In latere sinistro erat rima cutis perparva, haud penetrans. Demtis integumentis externis praeiacens observabatur orbita, telam cellulosam et aliquantum adipis continens. Glandulae lacrymalis nullum vestigium. In recessu denique orbitae dextrorsum parvum nigri coloris punctum oculi instar helicis vel arionis cernebatur, quod rudimentum oculi habebam; quae opinio eo confirmatur, quod etiam in orbita dextra tale corpus nigrum magnitudine globuli acus conspiciebatur, quod oculi bulbo simillimum parva tantum massa musculosa fundo adoptatum erat. Ceterum sola ex choroidea constare videbatur.

Cerebrum haec abnormia praebebat: Hemisphaeria cerebri paulo minora ventriculos laterales continebant, cum corporibus striatis, uti fieri solet, maximum spatium ventriculorum occupantibus; nervus olfactorius presens erat. Cerebellum, vermis globulique laterales bene formata. Posteriora vero corpora quadrigemina, ex quibus nervi optici in avibus ordiuntur, multo minora inventa sunt, et in postico vermis aliqua ex parte locum eorum occupaverat. Anteriora corpora quadrigemina magnopere prominebant.

## CAPUT III.

### Epicrisis.

### §. 12.

Disquisitiones ac descriptiones anatomicas monstrorum quam accuratissimas quum ad physiologiam omnino provehendam, tum maxime ad historiam rationis, qua embryo increscat, illustrandam maxime esse idoneas, res est extra omnem dubitationem posita, de qua jam Kulmus*), „monstrorum, ait, descriptiones anatomicae multam lucem affundere possunt doctrinae physiologiae arduae ac difficillimae de generatione hominis. Quam ob rem optandum foret, ut tot praestarent, quot passim monstrorum, quoad formam externam descriptiones occurrunt.“ Qua ratione habita, postquam ad eas, quae iam exstant, observationes de anophthalmia congenita novas duas, quantum in me fuit, accuratius descriptas addidi, universa quaedam de hac re disserere mihi in animo est.

### §. 13.

Supra iam perquam dolendum esse memoravi, quod ex casibus, qui de anophthalmia congenita observata sint, tam pauci gaudeant diligentiore quadam descriptione; sed de his tantummodo verba faciam. Est autem inter illas observationes, quantum equidem scio, si casum tantum a Seilero accuratissime descriptum exceperis, nulla, in qua non solum uterque oculus defuerit, sed etiam partium accidentalium ne vestigium quidem repertum sit. Hicce casus in genere suo prorsus unicus est, neque quidquam obstat, quominus eum tanquam anophthalmiam completam designem. Quot-

---

*) Ioan. Ad. Kulmus descript. anatom. physiol. alic. foet. monstr. ad profession. medic. et physic. in Athenaeo Gedan. Acta Erud. Lipsiae 1726. Cf. etiam libr. de anat. pathol. a Meckel edit. T. II. praef.

quot alii casus memoriae proditi sunt, in omnibus omnes oculi partes non defuerunt; neque tamen, quaenam partes accuratius et constantius, definiri potest, quum observationes magis discrepent, quam ut pro earum inopia iudicium ferri possit.

## §. 14.

Duo, quos descripsi, casus nonnulla exhibent propria, quae accuratius etiam cognoscere iuvat: nonnulla modo fusius tractabo. In primo casu, bulbis omnino deficientibus, membrana peculiaris inter palpebras deprehenditur, quam supra accurate descripsi: equidem hanc existimo coniunctivam. Seiler in partes ab Ammonii *) discedere mavult, quippe qui, coniunctivam prima foetus aetate membranam serosam esse, postea autem in mucosam converti putet; refutat contra Rudolphii **) sententiam, coniunctivam esse epidermidi prorsus similem. Nostrum praeparatum multos membranae huic insidentes crinium fasciculos clare ostendit, qui prorsus eadem conditione, qua in integumentis, sunt, quamvis cilia omnino sint diversa. Si secundum hanc observationem utriusque opinionem disceptare velimus: non possumus, quin Rudolphii sententiae assentiamur. Conferas, quaeso, cum illa alium casum, quo et ipso crines ex coniunctiva excreverunt †); narratur ibi „a pueritia ad mediam partem lateralem sinistram oculi sinistri apud foeminam tumor lentis magnitudine rotundus inter corneam et scleroticam positus sese ostendit, visum vix laedens. Anno XIV. aegrae e centro tumoris excrevit pilus sensim increscens et corneam irritans, quo evulso successit alius atque per annos XVIII. mox unus, mox duo pili progerminabant.“ Hicce casus singularem

*) Zeitschrift für Ophthalmologie. Bd. II. Heft IV. p. 507.

**) Handbuch der Physiologie, pag. 104.

†) Cl. Musars de Caecelles de pilo in bulbi oculi etc. Com-

praebet nostro similitudinem, quippe in quo etiam circa corpus lenticulare imprimis pili provenerint. Obiicere aliquis posset, in verrucis et naevis *) pilos quoque saepissime occurrere; attamen in nostro casu non solum in illis corpusculis, si ea verrucis similia esse putes, sed etiam alias in membrana descripta cerni licuit. Seiler palpebrarum inversionem in foetibus tantum bestiolarum domesticarum observavit, nos etiam in genere, quod magnitudine superet. Miratu digna est insuper in oculo dextro membrana nigra coniunctivam supra designatam intrinsecus obducens. Num est iris degenerata, an pigmentum nigrum? Satis singulariter etiam orbita mutila ac vacua, non rimae palpebrarum respondens, sed sub ala ossis sphenoidei maiori observatur. Quod attinet ad casum alterum, bulborum oculi rudimenta, quae tanquam punctula modo cerni licuit, memoratu digna sunt. Quali providentia sit agendum in observationibus, hinc elucet; nam facillime potuerunt rudera haec exigua praetermitti. Accuratius ergo hunc casum microphthalmum, quam anophthalmum nominares; sed quum rudimenta illa insignius nil observatu praebeant, anophthalmiae adnumerandum esse duco. Proprium fuit insuper primo casui, quod thalami nervorum opticorum a cerebro et pons Varolii cum medulla oblongata a corporibus quadrigeminis et thalamis prorsus fere erant seiuncti. Quum autem organorum structura non postea eversa fuisset, sed primarius partium coniungentium defectus; sequitur ut cerebrum eiusque ganglia praecipua corpora nempe quadrigemina et thalami, non, uti Gall affirmat, medullae spinalis sint efflorescentia, sed cerebrum eiusque ganglia sine auxilio medullae oblongatae et spinalis existere et conformari possint.

---

ment. de rebus in scient. natur. et medic. gestis. Vol, 16 Pars I. pag. 77. Lips. 1770.

*) Rosenmüller's u. Isenflamm's Beiträge für die Zergliederungskunst. B. II. H. I, p. 106; von Walther: über angebor. Fetthautgeschwülste etc. Landsh. 1814. fol. Taf. I. u. II.

## §. 15.

Defectus oculorum completus in monstris acephalis non potest anophthalmia dici, quum eum universo pars quoque deficiat necesse sit. Bulbi autem defectus, partibus faciei ac cranii, quibus orbita inest, bene formatis, duplici ex ratione iudicandus est; distinguendus enim est anophthalmus verus et spurius; in altero deest bulbus oculi ex prima conformatione, in altero bulbus, quum antea magis minusve formatus adfuerit, postea aut hydrope aut aliis morbis et desorganisationibus aut prorsus aut magnam ad partem eversus est. Ad primum genus referendi sunt omnes casus antea allati, ad secundum genus Roederer *), Beer **), et Morgagni ***) observaverunt. Nervi optici defectus, quum bulbus adsit, observationibus certis demonstratum mihi non videtur. Acharius †) in hemicephalo retinae defectum observasse vult, sed defectus ille nonnisi solutio videtur. Hallerus quidem duos casus affert, in quibus nervus opticus defuit, unum a Mery observatum ††): ex fronte, inquit, tuber aquam stillans, sub eo oculus unicus absque palpebra et nervo optico, musculis tamen praeditus. De altero narratur †††): In cyclope caput pergrande pupillis duabus, palpebris quatuor, totidem tarsis, inferioribus punctis lacrymalibus duobus, unico ductu lacrymali inferiore, superioribus nullis, nervo optico nullo. Sed casus hi perquam inaccurate descripti prorsus discrepant ab omnibus aliis, qui magna cum diligentia explorati sunt. Merito igitur non multum

---

*) Foetus parasit. descript.; in comment. Societ. reg. sc. Götting. Tom. IV. 1754, p. 137.

**) Das Auge. Wien 1813.

***) De sedibus et caussis morborum epistola. XIII. No. 8.

†) Svensk Vet. Ac. Nya Handl. 1809. p. 224.

††) Histoire de l'Academie, 1709.

†††) Journal de medecin, 1757 October, Cf. Haller l. c.

iis tribuere debemus. Quae Magendie*) observavit de nervi optici defectu, ex ea caussa non accurata nominaverim, quia nervus opticus ibi cum tuberculo, in quod cerebrum mutatum fuit, arctissime usque ad sellam turcicam coalitus fuisse videtur, atque ita nervus aut tenuis aut devulsus omissus est. Medullae nervi optici defectus, quum vagina adfuerit, nonnisi ex dissolutione nervi optici, per hydropem effecta explicari potest. Hinc pertinent casus, quibus Seiler opinionem probare studet, partes periphericas sine centralibus esse et conformatas esse posse, nempe casus a Klinkosch observatus, in quo medullae nervi trigemini rami primaria dissolutio hydropica negari non potest. Casus quoque a Seiler et Rudolphi allati, in quibus nervi adfuere, et cerebrum et medulla spinalis prorsus defuerunt, solummodo sequelae sunt eversionis harum partium hydropicae. Partes omnium organorum vere centrales sunt nervi, ita, ut singulae corporis partes, e. g. extremitates inferiores, tanquam monstra occurrere possint, attamen earum nutritio ex nervo quodam praecipuo, tanquam organo centrali, oriatur. E contrario observatum est, thalamos et nervos opticos adfuisse, dum oculi defuerint. Unde affirmatur, partes systematis cuiusdam organici centrales adesse posse, tamenvero periphericas deficere, sed non vice versa. Quae sententia, ab illustri professore Mayer**) prius iam accuratius perlustrata, prorsus diversa est ab alia quadam a Meckel prolata; hic partes centrales ante periphericas gigni dicit, quod quidem se ita non habere ex eo elucet, quia omnes partes uno eodemque momento procreantur, at tempore solummodo diversae excoluntur. Neque statuere licet, partes periphericas ex centralibus originem ducere atque sententia professoris cl. Mayer supra allata id tantum sibi vult, quod partium periphericarum evolutio centralium evolutione virtualiter sit contenta.

*) Journ. Physiol. 1. 4 p. 375.

**) Meckels Archiv. 1822. Nro. II.

# VITA.

Natus sum ego **Hubertus Dormagen** Coloniae Agrippinae die vigesimo octavo mensis Aprilis a. MDCCCVII patre **Jacobo Dormagen**, quem a tenerrima aetate morte mihi abreptum lugeo, et matre **Margaretha** e gente **Myrbach** adhuc superstite pie colenda. Doctrinam profiteor catholicam. Primis litterarum elementis schola privata imbutus, utrumque Gymnasium, patria in urbe florens, quinque per annos frequentavi. Tum Marcodurum adii, in cujus Gymnasio annum et quod excurrit, versatus, cursu rite absoluto, Almam Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii, ibique Rectore Magnifico celeberrimo a **Droste-Hülshoff** civium academicorum numero adscriptus, apud illustrissimum F. **Nasse** medicorum ordinis Decanum spectatissimum nomen inferendum dedi.

Scholae philosophicae, quibus interfui, hae sunt:

Logicen et psychologiam cl. **van Calker**; metaphysicam cl. **Brandis** h. t. Rect. Magnif.; anthropologiam cl. F. **Nasse**; physicem cl. a **Münchow**; chemiam experimentalem cl. G. **Bischof** et cl. **Bergemann**; zoologiam et zootomiam cl. **Goldfuss**; botanicen generalem cl. **Treviranus**; oryctognosiam cl. **Nöggerath**; zoochemiam cl. **Bergemann**; botanicen pharmaceuticam cl. **Nees ab Esenbeck** mihi docuerunt. De introductione philosophica cl. **Hermes**; de theoria artium liberalium cl. **d'Alton**; de libris Ciceronis de officiis cl. **Delbrück**; de historia aevi recentissimi cl. **Hüllmann** disserentes audivi.

In excursionibus ad cognoscendas et in agro bonnensi sponte nascentes et in horto botanico cultas

plantas duces mihi fuere cl. Nees ab Esenbeck et cl. Treviranus.

De medica arte, quas audivi, praelectiones hae sunt: Osteologia, anatomia tam generalis quam specialis apud cl. Mayer h. t. Dec. spectatissis. et cl. Weber; repetitorium anatomiae, de demonstratis praeparatis Musei anatomici, de organis sensus apud cl. Mayer, qui quoque cum cl. Weber in cadaveribus dissecandis dux mihi fuit; encyclopaedia et methodologia artis medicae, physiologia, anatomia comparata, anatomia pathologica apud cl. Müller; anatomia pathologica apud cl. H. Nasse; pathologia generalis apud cl. Naumann; pathologia specialis et de morbis syphiliticis apud cl. Albers; pathologia generalis, cholera indica apud cl. Harleſs; materia medica et universalis et specialis, de arte formulas medicas concinnandi, medicina forensis atque epizootiae apud cl. E. Bischoff; ars obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de forma et usu medicaminum, de morbis gravidarum puerperarumque, de ossibus fractis et luxatis apud cl. Kilian; chirurgia, doctrina de oculorum morbis, de fasciis applicandis et de operationibus chirurgicis apud cl. Wutzer; therapia generalis et specialis, physiologia et pathologia cerebri, de abnormibus quibusdam animi conditionibus earumque diiudicatione in foro apud cl. F. Nasse.

In practicis autem exercitationibus duces mihi fuerunt: In clinico obstetricio per annum et dimidium cl. Kilian, qui quoque in exercitationibus in phantomate instituendis moderator mihi fuit. In clinico chirurgico et ophthalmiatrico per annum et dimidi cl. Wutzer. In clinico medico propaedeutico per semestre, in therapeutico per duos annos cl. F. Nasse.

Quibus praeceptoribus omnibus dilectissimis, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo, quas possum maximas.

# THESES.

*I.*

*Medicus assistens naturae, natura magistra medici.*

*II.*

*Medicus sit et philosophus et empiricus.*

*III.*

*Non omne vivum ex ovo.*

*IV.*

*Symptomata causae non exstant.*

*V.*

*Dentitio per se non morbosa.*

*VI.*

*Non sunt morbi incurabiles.*

*VII.*

*Morbi dignoti facilis est cura.*

VIII.

*Celsi sententiam „anceps remedium melius quam nullum" rejicio.*

IX.

*Omnia remedia specifica.*

X.

*Docimasia pulmonum hydrostatica, vitam infantis adfuisse, probari nequit.*

XI.

*Manus optimum pelvimetrum.*

XII.

*Funiculus umbilicalis ligandus.*

XIII.

*Nulla operationis methodus optima.*

XIV.

*Punctio vesicae urinariae supra ossium pubis instituta ceteris methodis praeferenda.*

XV.

*Erysipelas inter cutis eruptiones referendum.*

XVI.

*Cuivis morbo epidemio cura peculiaris.*

## EXPLICATIO TABULAE.

a. *Membrana tota loco coniunctivae.*

b. *Tunica propria major quasi nictitans cum punctis nigris.*

c. *Tunica propria minor.*

d. *Corpusculum lenticulare.*

e. *Fasces crinium.*

f. *Cilia.*

CORRIGENDA.

Pag. octava lege post secundam lineam: perfectam hanc Monophthalmiam

